

et erronee docebant usuram non esse prohibitam, nisi quantum est contra charitatem, atque a fenoris labe excusari lucrum quod a negotiatoribus exigitur, percipiturque ex mutuo, *præcise ratione mutui*, dummodo sit moderatum, modumque servet a patriæ legibus definitum. Hæc omnia profecto, ne latum quidem unguem differunt a doctrina quæ continetur in encyclica. At vero aliud est, usurarium, et illicitum esse auctarium, etiam moderatum, et a patriæ legibus definitum, quod percipitur ex mutuo, *præcise ratione mutui*; aliud est, usurarium, ac illicitum esse moderatum illud auctarium a patriæ legibus definitum, quod percipitur ex mutuo, non *præcise ratione mutui*, sed *ratione legis civilis*, vel ob extrinsecas alias causas paulo supra commemoratas: primum affirmat Benedictus XIV, de altero ne verbum quidem facit.

Respondent 3^o in hypothesis quod Benedictus XIV in synodo huic sententiæ reipsa adversaretur, nullo modo culpandum fore qui, solidis rationibus innixus, a privata ejus opinione seu explicatione modeste recederet, quum ille ipse in fine præfationis ad synodum diocesanam aperte profiteatur, *omnibus in rebus, quibus nullum ex publica Ecclesiæ auctoritate pondus accessit*, qualis procul dubio est explicatio, de qua agitur, *nihil se in synodo definire, ac veluti decretorium exhibere velle*, allata etiam ad hoc comprobandum auctoritate Melchioris Cani, et exemplo Innocentii IV, qui, etsi commentaria sua in libros decretalium scripserit, cum summum pontificatum gereret, « non tamen hoc sibi unquam arrogavit, ut quidquid in eo opere scripsisset, pro re definita haberetur, sed facile passus est opiniones suas, quas tanquam privatus doctor proposuerat, ab aliis doctoribus oppugnari, ut patet, » etc.

Respondent 4^o, in hypothesis quoque quod Benedictus XIV huic sententiæ adversaretur in encyclica, jam inde nullum amplius argumentum peti posse ad reprobandum moderatum illud auctarium a lege permissum, quod percipitur in præsentis rerum statu: quia circumstantiarum mutatio aliquam inducere potuit, imo vero manifestam induxit variationem, non quidem quoad principia, quibus nititur catholica Ecclesiæ de usura, et mutuo doctrina, quæque eadem semper ac omnino invariabilia sunt, sed quoad eorum applicationem.

Ego, diligenter considerata, prout tenues ingenii mei vires ferunt, Benedicti XIV doctrina, ut moderatius, sic probabilis illud existimo: dubitari merito posse, utrum ea doctrina, se sola, huic controversiæ dirimendæ sufficiat, necne. Verum cum, etiam posita hac mea opinione, cui parum fidere debeo, incertum adhuc remaneat, num auctarium illud tuta conscientia recipi possit; ut, sublata omni incertitudine, sit mihi parata facultas apte respondendi quibusdam confessariis, qui novissime circa eandem controversiam me consuluerunt, tum et aliis, qui ratione munerum, quibus perfun-

gor, sive intra, sive extra sacrum poenitentiae tribunal consulturi sunt, Vestram Eminentiam suppliciter rogo obtestorque in Domino, ut mihi transmittat resolutionem trium quæstionum, quas hic subjicio.

(Quæsitæ.) « 1^o An auctarium, de quo agitur, licitum sit; et quatenus hæc quæstio ex doctrina Benedicti XIV aliisque Sedis Apostolicæ judiciis directe resolvi nequeat:

« 2^o An poenitentes, qui auctarium illud, sive bona, sive dubia, aut mala fide receperunt, sacramentaliter absolvi possint, nulla facta aut promissa hic et nunc restitutione, dummodo serio promittant, se esse paratos ad exsequendum, quidquid super hoc negotio Sedes Apostolica determinaverit: et quatenus affirmative, prout asserunt nonnulli ad hanc aliasque similes quæstiones jam pluries nomine S. Officii et Sedis Apostolicæ provisorie rescriptum fuisse, de quibus tamen rescriptis eorumque tenore mihi non constat:

« 3^o An iis pariter, qui neque ullum habent titulum lucri cessantis, vel damni emergentis, vel periculi extraordinarii sortis amittendæ, neque versantur in casibus, in quibus præceptum charitatis erga proximum eos obligat ad mutuandum simpliciter ac nudo mutuo, liceat pecuniam mutuo dare, stipulato aut convento annuo auctario 5 pro 100 supra sortem, prout lex regia permittit, sub eadem conditione de parendo futuris Sedis Apostolicæ super hoc negotio determinationibus. »

Maxima fretus fiducia quod Eminentia Vestra votis meis in re mihi adeo necessaria benigne obsecundabit, sum, eroque semper,

Eminentiaæ Vestrae,
Humil. obseq. et addict. servus.

Joseph. Antonius AVVARO, sacrae theologiae doctor, et regius ejusdem facultatis professor, canonicus theologus et provicarius generalis.

Pinerolii, die 22 Januarii 1832.

SACRA POENITENTIARIA.

(Responsio Sacrae Poenitentiarie, 1832, 11 Februarii.) Dil. in Christo Josepho Antonio Avvaro transmittendas censuit resolutiones alias datas ad quædam dubia circa usuras, scilicet:

« 1. Utrum confessarius possit in conscientia denegare absolutionem presbyteris, qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem, absque alio titulo vel lucri cessantis, vel damni emergentis:

« 2. Utrum debeat. »
Resp. ad utrumque: « Non esse inquietandos, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere: adeoque nihil obstare eorum absolutioni in sacramento Poenitentiae. »

ALIA DUBIA.

(Renovatur responsio data ep. Veronensi.)
1^o An confessarius ille possit absolvi, qui, licet Benedicti XIV et aliorum SS. Pontificum de usura definitiones noverit, docet, ex mutuo divitibus, aut negotiatoribus præstito percipi posse, præter sortem, lucrum quinque pro centum, etiam ab iis qui nullum omnino alium, præterquam legem civilem, titulum habent mutuo extrinsecum:

« 2^o An peccet confessarius, qui dimittit in bona fide poenitentem, qui ex mutuo exigit lucrum lege civili statutum, absque extrinseco lucri cessantis, aut damni emergentis, aut periculi extraordinarii titulo. »

Resp. ad primum: « Confessarium, de quo in dubio, non esse inquietandum, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui paratus sit se subjicere: adeoque nihil obstare ejus absolutioni in sacramento Poenitentiae. »

Ad secundum: « Provisum in præcedenti, dummodo poenitentes parati sint stare mandatis S. Sedis. »

ALIA DUBIA.

Vir quidam persuasus erat encyclicam Benedicti XIV non inhibere lucrum ex collatione pecuniæ perceptum juxta disposita a lege civili: ejus hæredes quærunt:

« 1^o An encyclicam recte acceperit.

« 2^o Etiam supposito quod male acceperit, persuasus tamen recte accepisse, an hæredes ab omni reparatione se exemptos existimare valeant. »

Resp. ad primum: « Acquiescant, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis. »

Ad secundum: « Provisum in primo. »

ALIA DUBIA.

« 1. An possit eorum confessariorum agendi ratio probari, qui, dum tenent uti probabiliorum opinionem contrariam lucro ex pecunia negotiatoribus mutuo data, poenitentes eo modo lucrum percipientes ut ditescant, absolvunt, quando nempe isti, objicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a S. Sede, promittunt tamen obedire judicio S. Pontificis, si intercedat: et similiter agunt, quando poenitentes, lucrum percipientes in bona fide, de eo non confitentur, licet aliunde noverint, ipsos percipere lucrum, ut supra, nulla de ea re facta interrogatione, quando timent, ne poenitentes, admoniti restituere aut a tali lucro abstinere, recusent.

« 2. Utrum episcopus possit hortari rigidiores confessarios consulendi causa ipsorum adeuntes, ut priorum confessariorum agendi rationem sequantur, donec S. Sedes expressum ea de quæstione judicium ferat. »

Resp. ad primum: « Non esse inquietandos. »

Ad secundum: « Provisum in primo. »

Datum Romæ, in sacra Poenitentia, die 16 Februarii 1832.

E. card. DE GREGORIO, m. p.
D. FRATELLINI, S. P. secr.

VII.

RESPONSUM

S. POENITENTIARIE APOSTOLICÆ

Ad preces moderni episcopi Aquensis Sanctæ Sedi porrectas ad impetrandam normam circa varias quæstiones, quæ de usura diversimode ab auctoribus definiuntur, idque pro quiete tam fidelium quam confessariorum.

(Responsum S. Poenitentiarie ep. Aquensi, 1832, 23 Nov.) Sacra Poenitentia ven. in Christo Patri episcopo oratori communicandas censuit resolutiones alias datas ad quædam dubia circa usuram, scilicet:

DUBIA.

« 1. Utrum confessarius possit in conscientia denegare absolutionem presbyteris, qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem, absque alio titulo vel lucri cessantis, vel damni emergentis:

« 2. Utrum debeat. »
Resp. ad utrumque: « non esse inquietandos, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere: adeoque nihil obstare eorum absolutioni in sacramento poenitentiae. »

ALIA DUBIA.

(Renovatur responsum datum ep. Veronensi.) An confessarius ille possit absolvi, qui, licet Benedicti XIV et aliorum Summorum Pontificum de usura definitiones noverit, docet ex mutuo divitibus, aut negotiatoribus præstito percipi posse, præter sortem, lucrum quinque pro centum, etiam ab iis qui nullum omnino alium, præterquam legem civilem, titulum habent mutuo extrinsecum:

« An peccet confessarius qui dimittit in bona fide poenitentem, qui ex mutuo exigit lucrum lege civili statutum, absque extrinseco lucri cessantis aut damni emergentis, aut periculi extraordinarii titulo. »

Resp. ad primum: « Confessarium, de quo in dubio, non esse inquietandum, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui paratus sit se subjicere: adeoque nihil obstare ejus absolutioni in sacramento poenitentiae. »

Ad secundum: « Provisum in præcedenti, dummodo poenitentes parati sint stare mandatis S. Sedis. »

ALIA DUBIA.

Vir quidam persuasus erat encyclicam Benedicti XIV non inhibere lucrum ex collatione pecuniæ perceptum juxta disposita a lege civili. Ejus hæredes quærunt:

« 1^o An Encyclicam recte acceperit:

« 2^o Etiam supposito quod male acceperit. »

rit, persuasus tamen recte accepisse, an hæredes ab omni reparatione se exemptos existimare valeant. » Resp. ut sup.

ALIA DUBIA.

« 1° An possit eorum confessariorum agendi ratio probari, qui, dum tenent uti probabiliorem opinionem contrariam lucro ex pecunia negotiatoribus mutuo data, pœnitentes eo modo lucrum percipientes ut ditescant, absolvunt, quando nempe isti, objicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a S. Sede, promittunt tamen obedire judicio S. Pontificis, si intercedat: et similiter agunt, quando pœnitentes, lucrum percipientes in bona fide, de eo non confitentur, licet aliunde noverint ipsos percipere lucrum, ut supra, nulla de

OFFICIUM DIVINUM, MISSA.

Decreta, et quidem non pauca, S. Rit. cong. divini officii recitationem ac missæ celebrationem spectantia, sub v. RUBRICÆ ad calcem tom. VI inseremus.

OLEUM INFIRMORUM.

S. ROMANÆ, ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS DECRETA.

Dubium propositum fuit a R. P. D. episcopo Veronensi: « Utrum, deficiente oleo infirmorum, liceat administrare sub conditione sacramentum extremæ unctionis oleo a simplici sacerdote benedicto, saltem in casu extremæ necessitatis, ut cum moribundus sensibus destitutus, nullum doloris signum, neque ante dedit, neque præbet. »
Feria IV, die 13 Junii 1850 in congregatione generali S. Officii habita in palatio apostolico Vaticano coram eminentissimis et reverendissimis DD. S. R. E. cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus inquisitoribus, proposito supra scripto dubio una cum voto DD. consultorum, iidem eminentissimi et reverendissimi DD. dixerunt, « Dentur decreta anni 1611 et 1842. »

Eadem die, et feria. Sanctissimus D. N. Pius div. Prov. P. IX, in audientia R. P. D. assessori S. Officii impertita, audita relatione suprascripti dubii una cum eminentissimorum DD. cardinalium generalium inquisitorum suffragiis, resolutionem ab iisdem eminentissimis DD. datam approbavit.

Angelus ARGENTI, S. R. et universalis Inquisitionis notarius.

Decreta lata a S. congregatione Romanæ et universalis inquisitionis super dubio:

(188) Vide Benedict. XIV, *De synod. diœces.*, lib. VIII, cap. 1.

ea re facta interrogatione, quando timent ne pœnitentes admoniti restituere, aut a tali lucro abstinere, recuset.

« 2° Utrum episcopus possit hortari rigidiores confessarios consulendi causa ipsum adeuntes, ut priorum confessariorum agendi rationem sequantur, donec S. Sedes expressum ea de quæstione judicium ferat. »

Resp. ad 1: « Non esse inquietandos. »

Ad 2: « Provisum in primo. »

Datum Romæ, in S. Pœnitentiaria, die 23 Novembris 1832.

A. F. DE RETZ, S. P. regens.

D. FRATELLINI, S. P. secret.

Loco ✕ sigilli.

ORDO

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETUM

De titulo ordinationis, ubi plura notatu digna.

Die Sabbati 8 Julii 1719.

Sanctæ Crucis della sierra in Indiis Occidentalibus. Licet a sacro conc. Tridentino sess. XXI, cap. 2, *De reform.*, statutum fuerit, neminem promoveri posse ad sacros ordines, nisi prius legitime constet, eum habere beneficium ecclesiasticum sufficiens ad honestam sustentationem, vel ad minus patrimonium, vel pensionem (189), in hypothesis tamen, in qua episcopus judicaverit, quod obtinens patrimonium seu pensionem sit ad sacros ordines assumendus pro necessitate, vel commoditate Ecclesiæ, et antiquorum canonum pœnæ fuerint ibidem a sacro concilio innovatæ, non ita quidem, ut ordinatus sine titulo sufficienti sit suspensus, et ministrando fiat irregularis, juxta textum in can. *Neminem*, et in can. *Sanctorum*, dist. 70, sed ita ut ordinans teneatur sic ordinato alimenta subministrare, donec ille beneficium ecclesiasticum consequatur, juxta textum in cap. *Cum secundum*, De præbendis, et late disputata ad sensum hujus sacre congregationis per Fagnanum in cit. cap. *Cum secundum*, n. 63 et seqq., ubi solum sub num. 68 docet, pœnam suspensionis clericum sine titulo sufficienti ordinatum afficere in casu, in quo ipse ordinantem deceptis falsas producendo probationes super sui tituli congruitate: et licet interpretando allegatum textum concilii, sacra hæc congregatio de mense Octobris anni 1589 ut in *Regestis*, lib. VI, pag. 58, plura proposuerit generalia dubia examinanda, inter quæ illud reperitur: « An

(189) Necessaria vite alimenta ne clericorum quis emendicare turpiter cogatur, consuevit ab initio Ecclesia providere, ut quisque de altare vivat, cunctique singulatum sacros ordines suscepturi congruam sibi Ecclesia, cui addicuntur, accipiant præbendam, olim diurnam, vel menstruam, mox annuam; vel perpetuo fruantur beneficio, saltem simplici, aut capellania itidem perpetua, aut ecclesiastica pensione, aut certis tandem patrimonii profanis redditibus; capellanas quod attinet, mobiles, et ad nutum patronorum amovibiles, et manuales, non idoneas titulo ordinationis sæpe judicavit S. congregatio Concilii, præsertim in *Bariensi* 2 Julii 1641. P. Corrad. in *Prax. benefic.*, lib. 1, cap. 2, num. 46. Nisi patroni aliquam sui patronatus hæreditarii capellaniam ordinando contulerint in perpetuum, cum pacto eum nunquam amovendi, vel consenserint eam perpetuo ordinationis titulo subijci. Id enim fas esse in patronatu hæreditario, quia hæredes factum defuncti nequeunt revocare, secus in patronatu familiari, aut gentilitio, quem consanguinei successores, non beneficio ac voluntate morientium possessorum, sed jure proprio nanciscuntur. probe moment Pitonius *De contro. patron.*, alleg. 100, num. 47; Amostaz. *De causis piis*, lib. III, cap. 1, num. 42, et cæteri. At publica necessitas, et alicujus Ecclesiæ paupertas fecit aliquando, ut S. congregatio

habens ex propria industria, et honesto labore tantum lucrum, quantum satis est ad vitæ sustentationem, promoveri valeat: » negative responderit,

Exempla nihilominus non desunt, in quibus, urgente Ecclesiarum necessitate, concessum fuit, ut fieri posset ab episcopis ordinatio clericorum sæcularium, etsi illi nec beneficium, nec patrimonium obtineant; et prætermissis quidem exemplo ecclesiæ metropolitanæ Florentinæ, in qua usque adhuc viget privilegium ab Eugenio IV concessum, ut clerici qui eidem inservierint spatio decem annorum, ordinibus sacris initiari subinde valeant, licet nec beneficium, nec patrimonium obtineant, a Summo Pontifice Urbano VIII, die 13 Martii 1640, concessum fuit alumnis seminarii Pragensis, ut ordines recipere valeant sine titulo beneficii, aut patrimonii, sed solum ad titulum missionis, prout ab eodem Pontifice præcedenter concessum fuerat die 18 Maii 1638 alumnis collegii de Propaganda Fide. Alumni collegii Illyrici a Gregorio XIII instituti, et ab Urbano Papa VIII restaurati in civitate Lauretana, privilegio potiuntur ordinationis sine beneficio ecclesiastico, et patrimonio, nulla facta mentione tituli missionis, ut legitur in privilegio ab eodem Urbano concessio prima Junii anno 1627. Consimile est privilegium ab eodem Pontifice concessum collegio Fuldensi pro scholaribus Germanicæ nationis, nec non collegio Pragensi, ut plenius deprehendi valet ex collectione

Concilii ordinationem titulo capellanæ gentilitiæ, et nobilis indulgeret, spondentibus patronis ordinandum vita durante non amoturos, ut in *Mutinensi* 17 Dec. 1690, et *Eugubina* 17 Aprilis 1706. Item S. congregatio Episcoporum in *S. Agath. Gathorum* 17 Octob. 1617, apud Monacellum, tom. II, tit. 15, formul. 15, num. 17. Tum ea frequentius Indulta *deputationum ad vitam* Sedes Apostolica dare per Datarium consuevit. In iisque adjicitur quandoque clausula, ut statim ac ordinandus congruam vitæ sustentationem aliunde quæsiverit, capellania ad suam mobilem redeat naturam.

Quantum denique ad pensionem spectat, notandum, illam pro sufficienti titulo ordinationis haberi, quam scilicet Apostolica Sedes jure perpetuo reservaverit, et indulserit ad ipsius pensionarii vitam super alicujus beneficii, vel Ecclesiæ fructibus. Nam quæ ob bonum pacis ad conciliandos animos contententium in foro episcopali patronorum, plurimumque ab eis presentatorum, vel ob paupertatem benemerentis clerici, vel ob permutationem inæqualium beneficiorum reservatur aliquando ab episcopis, ea, moriente beneficiario, exstinguitur, nec successorem afficit, quamvis pensionarius supervixerit. — Ex Carolo Gagliardo *Inst. canonic.*, lib. II, tit. 10, *De sacram. ordin.*, num. 67. (Edit. Casinenses.)